



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia  
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De  
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ  
Gratiæ Ad Honesta Opera

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1620**

Cap. VI. Vtrum gratia fidei sit necessaria ad quodlibet opus moraliter  
bonum, etiam ordinis naturalis faciendum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

in alijs locis dicit, solam charitatem præcipi, & non excludit alia, ita hic, licet charitatem nominet, non excludit alios actus concupiscendi bonum, sed illum ponit vt fundamentum omnium, & inter omnia eminentem.

17.  
Pars altera  
loci explicatur.

Quod verò inferius ait Augustinus, *Quando incipit fieri bonum non amore iustitiæ, sed timore pœnæ, nondum fieri bene*: Facillimum est, quocumque modo ex supra dictis ibi sumat amorem iustitiæ, siue vniuersaliter pro amore honesti, siue per antinomiam pro amore iustitiæ apud Deum, quæ est charitas. Nam aperte loquitur de timore omnino serui, qui non excludit prauum affectum voluntatis, & ita non sufficit ad bene operandum. Si autem loquamur de timore pœnæ moderato, & honesto, ille sine dubio sufficit ad bene moraliter operandum, licet non ad bene, id est, perfectè, & meritorie perse, & quasi propria virtute. Ad alium denique locum ex libro de Spirit. & Litter. iam responsum est, & ostensum, ibi etiam loqui Augustinum de vera, & singulari charitate infusa, & merito illi tribuere affectum iustitiæ, quia loquitur de iustitia perfectâ, & apud Deum, vt explicatum est. Alia verò difficultas restabat circa hæc loca Augustini, quia videtur omnia opera humana quasi adæquatè diuidere in ea, quæ sunt ex amore iustitiæ, vel timore pœnæ omnino serui, seu in ea, quæ sunt ex propria charitate, & ex inordinata concupiscentia, cum tamen hæc non sint adæquatæ. Sed de hoc puncto dicemus melius in cap. 7.

## CAPVT VI.

*Virum gratia fidei sit necessaria ad quodlibet opus moraliter bonum, etiam ordinis naturalis faciendum?*

1.  
Quæstionem  
tractandi  
causa.

DE necessitate fidei ad opera supernaturalis ordinis in libro sequenti dicturi sumus, quia verò etiam ad opera moraliter tantum bona ab aliquibus reputata est fides necessaria, saltè mortua, licet viua necessaria non sit, idè quæstionem hanc proponimus, quæ in re coincidit cum alia, quæ in materia de fide tractari solet, scilicet, an omnia opera infidelium sint peccaminosa; illius tamen fundamentum proprium est huius materiæ, & eius resolutio necessaria ad sequentia, & idè hic expedienda est. Duo ergò genera infidelium distinguere possumus, vnum cognoscentium, & colentium vnum verum Deum per lumen naturæ, vel traditione humana cognitum, vt sunt pagani; & potuerunt esse aliqui naturales Philosophi; & in hoc ordine Iudæos, & hæreticos numeramus; aliud ignorantium verum DEVM, & vel idola colentium, vt gentes, vel nullum cultum Religionis habentes, vt Athei. Iuxta hæc ergò duo genera infidelium duplex fuit in hoc puncto sententia.

2.  
1. Sententia  
Hæreticorum  
& aliorum  
Eccl.  
Lincon.

Prima est, nullum infidelem etiam cognoscentem Deum, posse actum bonum efficere, siue per vires naturæ, siue per auxilium gratiæ. Hæc sententia tribuitur Linconensi in sermone quodam de Adventu, quem videre non potui. Ex Scholasticis verò nullus tam generaliter loquutus est, præter Michaelē Baïum, cuius vigesima sexta propositio fuit, *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia*. Lutherus autem, & sequaces à fortiori hoc dicunt, eum de fidelibus, imò & iustis id asserant. Fundari potest in illo Pauli Romanor. decimo quarto. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*. Quod de fide Theologica virtute, & de omni opere facto ab homine, illam non habente, sæpè intelligit Augustinus, cuius sententiam, & aliorum, qui illum sequuti sunt, capite sequenti expendemus. Citatur etiam pro hac sententia, & expositione Gregor. Nissen. libr. de Perfecti hominis Christiani forma. Sed in eo, quo vtor,

non inueni librum sub hoc titulo, sed tantum Epistolæ Harmonium sub titulo, quid nomen, vel professio Christiana sibi velit, vbi nihil de hoc dicit. Additur præterea illud ad Titum 1. *Infidelibus nihil est mundum*. Et ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*; Ergo nec bonum opus esse, quia si opus esset bonum, placeret Deo.

Rationem pro hac sententia tam latè sumpta, nullam ferè inuenio, quæ in homine infideli agnoscente Deum locum habeat, & non in fidei peccatore: nisi fortasse, quòd infidelis non potest vilo modo diligere DEVM propter seipsum, fidelis autem potest aliquo modo diligere DEVM propter se, saltè amore affectiuo imperfecto, quod satis est, vt referat suum opus in Deum modo sufficente ad bonitatem moralem operis; infidelis autem id non possit. Alia item ratio posset excogitari, si quis diceret, Deum ratione fidei præparare fidelibus etiam peccatoribus auxilia, seu cogitationes congruas ad bene operandum, quas non præparat infideli, quamdiu fide caret.

Secunda sententia distinguit infideles agnoscentes, & ignorantes Deum, duoque affirmas. Vnum est infideles cognoscentes DEVM posse habere opera moraliter bona, saltè ex aliquo speciali auxilio Dei. Aliud est, infideles omnino ignorantes verum Deum, nullum opus morale omni ex parte bonum facere posse. Hæc fuit sententia Gregorij, in secunda distinctione trigesima nona, quæstione prima, articulo secundo, coroll. 3. cuius primum dictum nos libenter admittimus, quod infra probabimus. Secundum autem probatur ab eodem Gregorio, quia sine intentione bona, non est opus bonum, & multò minus cum mala; sed in huiusmodi infideli non potest esse intentio bona; imò semper est mala; ergo & operatio semper est mala. Maior constat ex illo Luc. 11. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit*. Vbi nomine oculi intentio significatur, vt omnes exponunt. Et ratio est, quia in moralibus finis dat speciem actui, & consequenter etiam bonitatem, & malitiam, vt Gregor. supra latè probat conclus. 2. & nos nunc vt clarum, & verissimum supponimus ex 1. 2.

Probatur ergo minor quoad priorem partem, quia finis bonus requisitus ad bonitatem actus moralis non solum debet esse proximus, sed etiam vltimus, imò hic potissimè, quia est causa prima in illo genere, & idè maxime influit iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. quæst. 1. articulo 4. & 5. Sed infidelis ignorans Deum, non potest habere ipsum pro vltimo fine; ergo nec potest habere in suis operibus bonum vltimum finem. Consequentia clara est, quia vltimus finis honestus hominis tantum est Deus: nam summa peruersitas est, finem vltimum in creaturis constituere, quia creaturis vtendum est, non fruendum, vt sæpè docet Augustinus de Doctrina Christiana libro primo, capitulo quarto, quinto, & vigesimo secundo, & libro 9. de Trinit. cap. 8. & libro 83. quæstionum 30. & libro 11. de Ciuit. capitulo 25. Minor autem probatur, quia infidelis ignorans Deum, nō potest aliquod opus suum referre in Deum tanquam in finem, quia intentio, seu relatio in finem supponit cognitionem. Ex qua probatione obiter constat, Gregorium loqui de relatione in finem facta per proprium actum ipsius operantis, siue relatio illa fiat per actum, qui simul sit cum opere relato, quæ solet dici relatio formalis, siue per præcedentem, quæ solet dici relatio virtualis, & in hoc sensu intelligit, quod in Maiori sumit, relationem in vltimum finem bonum, esse necessariam ad bonitatem operationis. Quæ potest in eodem sensu suaderi, tum ex doctrina Augustini in locis proximè citatis, quia quoties aliquid amatur propter se, ita vt neutro modo ex dictis referatur in alium vltiorem finem, eo ipso amatur vt finis vltimus, quia in eo sistit intentio operantis, & non ultra tendit,

3.  
Rationem  
quia excogitari  
potest  
pro prædicta  
sententia.

4.  
1. Sententia  
Gregorij duo  
dict.

Primum dictum  
admittitur.

Secundum  
vero probatur.

1. 2. Gregorij.

5.  
Prosequitur  
probanda  
Gregorij.

bendit; sed hoc modo amare creaturam, peruersum est; nam est illa irui. Item quia est illi attribueretur, quod est proprium Dei: solum enim Deus est vltimus finis verus, sicut solus est prima causa. Item quia alias liceret amare famam, diuitias, & voluptates propter se, & non referendo illas in alium finem meliorem, quod est omnino falsum. Sequela verò patet, quia magis distat quilibet creatura à Deo, quam illa bona fortunæ distent à bonis honestis creatis; ergo si licet bona creata honesta propter se diligere, non referendo illa in Deum, licebit, quodlibet bonum creatum diligere propter se, non referendo illud in aliud bonum creatum.

6. Nihilominus dicendum est primò. Ad bene operandum moraliter, & secundum rectam rationem sine vlla prætata circumstantia, non est simpliciter necessaria fides; ideoque infideles bene possunt interdum bene moraliter operari. Hæc est communis sententia Theologorum, & certa. Diui Thomæ 2. 2. quæstione 10. articulo quarto, & ibi Caietani, & omnium, Magistrum in 2. distin. 41. vbi Scholastici, Marfil. 1. quæstione 20. articulo 3. Capr. in 2. distin. 28. quæst. 1. articulo 3. ad 8. cont. 2. conclus. Vbi idem admittit Gregor. quæst. 1. articulo 3. ad 9. Soto lib. 1. de Nat. & Grat. cap. 19. & 20. Vega libro sexto in Trident. cap. 11. & latius cap. 40. Probaturque potest ex doctrina Pontificum contra Baium, nam licet solum damnet affirmatiuam propositionem, *Omnia infidelium opera sunt peccata*, tamen loquuntur in eodem sensu in quo supra explicuit Concilium Tridentinum, nam est eadem ratio. Deinde probatur potest ex Scriptura exemplo Centurionis, cuius elemosynæ Deo placebant, antequam esset fidelis, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius capit. tertio, citati exponunt. Verumtamen exemplum non probat, quia longè verius est, vt supra dixi, Cornelium tunc fuisse fidelem: valet tamen argumentum ad probandam assertionem testimonio doctorum Patrum, supponunt enim fieri potuisse, vt illa opera essent bona, & Deo placenta; etiam si ante fidem essent facta. Item ad Roman. 1. dicitur, Philosophos fuisse inexcusabiles non seruantes legem naturæ, vnde fit, potuisse aliquod boni sine fide facere, vt latè deducit Fulgentius lib. de Incarnat. & grat. cap. 26. Loquitur tamen de cognoscentibus Deum. Et hoc modo posset asseri exemplum de obsecratoribus, Exod. 1. quæ ex pietate, & timore Dei reseruauit infantes Hebræorum, quorum opus in hoc bonum fuisse, sentit Gregor. lib. 18. Moral. cap. 2. & D. Thomas 1. 2. quæst. 114. articulo 10. ad 2. & 2. quæst. 118. articulo 3. ad 2. Et licet dicatur de illis scemini, timuisse Deum, non constat, fuisse fideles; imò potius verisimile est, fuisse idololatrias, sicut erant Egyptij, & coluisse plures Deos; licet forte aliquo modo vnum creatorem cognoscerent, vel ex conuersatione cum Hebræis, vel ex motione interna Dei; qui horrorem eis inmisit tanti facinoris, & timorem mortis, si illud committerent, vt Abulenſis coniecat. Et licet hoc sit incertum: nam fieri potuit, vt vere crederent in Deum, tamen nihil etiam repugnat ita accidisse, vt sine fide vera illud bonum opus facerent, propter quod temporale præmium à Deo receperunt, vt Scriptura significat.

7. Simile exemplum est de facto Rahab recipientis exploratores. Nam licet Palus Hebræ. vnde dicitur, illam numeret inter credentes, dicens, *Fide Rahab meritis non perijt cum incredulis*, excipiens exploratores cum pace. Nihilominus verisimile est, quod ait D. Thomas Matth. 1. illam fuisse idololatram, quando excepit exploratores, & postea per eos diuina gratia adiutam credidisse. Prius ergo bonum opus vel hospitalitatis, vel defensionis innocentum operari potuit, quam fidem conciperet. Præterea Daniel consilium dedit Nabuchodonosor, vt elemosynas redimeret peccata sua, Daniel. 4. Et licet verisimile sit, illum iam concepisse fidem Dei, vt ex capit. tertio, in fine colligitur:

Patet 1.

fieri nihilominus potuit, vt illa non esset firma, & infusa fides, sed aliquis opinio, & hac suppositione data, adhuc consilium Danielis erat optimum, & supponebat, tales elemosynas potuisse honeste fieri. Imò & ita accidisse, sentit Author Imperfecti homil. 26. in Matth. in fine dicens, *Si Rex ille idolorum cultor poterat elemosynas peccata redimere, cui non profunt elemosynæ?*

Vnde possumus generale argumentum facere, 2. nam pagani, & heretici, qui sine vera fide Deum cognoscunt, rectè, & sanctè consulere possumus, vt à Deo lumen veritatis postulent, & vt elemosynas faciant, vt à Deo misericordiam impetrent. Item isti infideles incitari rectè possunt, & debent, vt parentes honorent, iustitiam faciant, & alia præcepta naturalia seruent; ergo possunt illa honestè facere, alias ad malum inducerentur. Denique sicut peccatores infideles ordinariè non excitantur immediatè, & subitò ad veram contritionem, sed paulatim per dispositiones remotas, ita infideles non immediatè, & subitò mouentur ad voluntatem credendi efficacem; quæ statim impetret actum fidei infuse, sed paulatim etiam per dispositiones remotas trahuntur ad fidem per aliqua opera libera intellectus, & voluntatis, vt per aliquam persuasionem de Deo, & de animæ immortalitate, per piamque affectionem ad honestatem, & pietatem, &c. ergo sicut necessarium est in peccatore fidelis, vt possit bonos actus efficere, quibus paulatim disponatur, ita suo modo in his infidelibus, etiam si tales actus fiant per gratiam auxiliantem, nunc enim abstractè loquimur de bonis actibus, quocumque auxilio fiant. Ratio verò à priori est, quia fides non est circumstantia boni operis moralis, nec cognitio eius est necessaria ad proponendum obiectum talis operis, vel finem honestum eius, quia non oportet, vt obiectum moralis operis sit supernaturale, nec supernaturaliter cognitum. Quæ est enim hæc necessitas? Et hoc ex sequenti assertione euidentius fiet, vbi etiam ex Patribus illam confirmabimus.

Dico secundò. Non solum sine fide, sed etiam sine Dei veri cognitione potest infidelis bonum aliquem moralem actum pericere sine vlla circumstantia mala, licet raro fortasse id faciat. Hæc sententia minus certa est, quam præcedens; quia neque ex Scriptura aliquid de hoc certum habemus, neque in Concilijs. Nam Trident. sess. 6. canon. 7. solum damnat dicentes, omnia opera, quæ ante iustificationem fiunt, esse peccata. Vbi per iustificationem sine dubio non intelligit totum cursum iustificationis à prima vocatione, vsque ad gratiæ sanctificationis infusionem, quia de tempore ante vocationem nunquam Concilium tractauit; nec erat necessarium ad doctrinam fidei, sed tantum docuit in cap. 5. exordium iustificationis à vocatione sumendum esse, & postea cap. 7. nullam mentionem facit operum ante vocationem ad fidem, sed tantum dixit: *Disponitur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati, & adiuui fidem ex auditu concipientes, liberi mouentur in Deum credentes, &c.* Deinde licet Pius, & Gregorius damnent vniuersalè propositionem Baii, *Omnia infidelium opera esse peccata*, Subsistere potest doctrina Pontificum, etiam si isti infideles ignorantes Deum, nullum bonum opus facere possent, quia vt illa vniuersalis assertio falsa sit in quocumque gradu, satis est, quod in eodem gradu sit verum, infideles cognoscentes Deum, posse sine peccato operari, vel clariùs loquendo, posse aliqua bona operari.

Solet autem hæc assertio suaderi ex Genes. 12. vbi Pharaon restituit Abraham vxorem suam, quod fuit bonum opus ex dictamine rationis naturalis, vt sentit Ambros. libro 1. de Abraham, cap. 3. tamen locus non adducitur, nam idem Ambrosius significat, non caruisse Pharaonem aliqua cognitione, & timore Dei. Adduci etiam solet factum quorundam Gentilium, de quibus dicitur 2. Reg. 17. obrulisse Dauid, & sociis eius frumentum, & alia necessaria ex pietate naturalis.

2.

bi, vt

li, vt indicant illa verba, *Suspiciati enim sunt, populum fame, & siti fatigari in deserto.* Deinde faciunt generalia verba Pauli ad Roman. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter eas, quæ legi sunt, faciunt.* Nam multi ea extendunt etiam ad idololatrias verum Deum ignorantes, vt Origen. lib. 2. ibi. Chrysost. hom. 5. & Græci. Item Hieron. ibi, & multi alij. Et quamuis nonnulli expositionem non admittant quoad Pauli sensum, doctrinam tamen non negant.

11.  
*Quæ ex Pauli  
nisi.*

Pro eadem sententia referri potest Gregorius Nazianz. erat. 28. post suum reditum, quatenus ibi dicit, homines fide carentes interdum propter hominum gloriam, interdum ductu naturæ virtutem operari: Nam in his posterioribus verbis videtur planè virtutem sine malo sine agnoscere, nam ductus naturæ non est mala circumstantia operis. Sicut alter Gregor dixit homil. 27. in Euang. *Sunt nonnulli, qui proximos diligunt propter affectum cognitionis, & carnis, quibus in hoc sacra eloquia non contradicunt, sed aliud est, quod sponte imponitur naturæ, aliud, quod ex charitate.* Quali dicat, illud opus prius malum non esse, sed bonum, licet sit minus perfectum. Et verterque indifferenter loquitur de hominibus, in quibus tales affectus esse possunt, siue fidem habeant, siue non, & siue Deum cognoscant, siue ignorent. Et eodem modo accipiendum est, quod dixit Chrysost. hom. 67. ad popul. initio. *Nec malus potest omnino malus esse, sed euenit, vt & aliquid habeat boni, vtique operis: nam subdit, Neq. bonus esse omnino, sed & nonnulla solet habere peccata.* Et infra ait, malum hic accipere illorum paucorum bonorum retributionem.

12.  
*Idè præstat.*

Præterea idem Chrysostom. homil. de Fide, & lege naturæ, & Spiritu Sancto, circa principium. *Offendentes (inquit) multos, qui quantum sermonem veritatis non acceperint, & foris sint, operibus tamen pietatis (vt apparet) sunt conspicui, inuenientes viros misericordes, comparietes, iustitia vacantes: sed nullos facientes fructus operum, quia nesciunt opus veritatis.* Nam & hæc sunt opera bona. At ne, essarium est, vt præcedat opus summum. Per quod intelligit opus fidei, vtique viue, vt statim exponit. Quia verò ibi addit Chrysost. *Nihil, extra fidem, bonum.* Solet hic locus in contrarium citari. Sed immeritò, iam enim supra explicuit per opera bona intelligere bona fructifera: nam de operibus infidelium dixerat, *Non facere fructum, vtique spiritualem.* Vnde etiam subiungit, *Similes mihi videatur, qui operibus bonis sunt, & Deum pietatis ignorant, reliquis mortuorum, pulchre quidem indutus, sensum autem pulchrorum non habentibus.* Quæ enim virtutes animæ mortuæ, Deo quidem mortuæ fide, & ratione, bonis autem operibus vestita? Et ex sequentibus est hic sensus euidentior. Sic etiam Author Imperfecti in Matt. hom. 26. *Gentiles (ait) humanitatis causâ recipiunt peregrinos, licet nō propter Christum.* Et infra dicit, infidelem interdum operari bonum, cuius præmium hic accipit, nō in alia vita. Quia naturali bono motu fecit bonum, non propter Deum. Quæ sunt optima verba cōtra Gregorium. Hieron etiam ad Galat. 1. nō longè à fine ait, *Multi absq. fide, & Euangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, vt parentib. obsequantur, vt inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiunt.* Videri tñ potest loqui de cognoscentibus Deum, quia prius dixerat, *Naturâ omnibus Dei iness. notitiam.* Sed re vera generaliter loquitur etiam de illis, *Qui nō credunt in eos, sine quo esse non possunt.* Vt infra dicit, & exempla, quæ adducit, planè in omnibus locum habent. Vnde cum ait, *Omnibus iness. notitiam Dei naturâ.* Si de vero Deo intelligatur, potentiam potius dicit, quàm actū: nam constat, nō omnes homines habere veri Dei cognitionem, & c. 5. ait, *Quomodo fides sine operibus mortua est, sic absq. fide quamuis bona opera sint, mortua computantur.* Idem affirmat Ezech. 29. in fine, vbi de omnibus infidelibus, aliqua ex parte legem naturalem implentibus loquitur.

13.  
*Ratione tñ  
dem proba-  
tur assertio,*

Ratione potest in primis hæc sententia probari à posteriori eodem modo, quo præcedens, quia aliàs nunquam posset gentilis ignorans Deum, induci ad

aliquid operandum, etiam in ordine ad fidem consequendam, quia semper induceretur ad malū. Apriori verò evidens ratio est, quia homo habens perfectum vsum rationis naturalis, etiam si omnino Deum ignoret, potest operari aliquod bonum ex genere, vt dare elemosynam, obedire parentibus, &c. sed non necessariò apponit malam circumstantiam, vel caret necessaria circumstantia ad bonitatem operis, ergo potest facere opus simpliciter bonum. Cōsequentiā, & Maior sunt notæ. Probatur ergo Minor quoad priorem partem, quia cum homo sit liber, nihil est, quod illum cogat ad circumstantiam prauam actui tali faciendū, de se bono adiungendam. Præsertim si à Deo aliquo modo iuuetur, vt id non faciat, nunc enim abstractè loquimur de infideli operante, siue cum solo concursu generali, siue cum aliquo speciali; ergo absolute loquendo, potest talis homo operari honestè, non addendo prauam circumstantiam. Deinde inductione ostenditur, quia de nulla circumstantia praua in particulari id potest cum probabilitate affirmari, vt facile posset per singulas discurrere ostendi. Sed quia de cæteris res est clara, id solum probatur de circumstantia personæ operantis, & de fine: nam si aliqua mala circumstantia esset necessaria, maximè altera ex his, nam de alijs nulla ratio dubitandi occurrat. De persona ergo operante patet, quia si ex parte illius daretur mala circumstantia, maximè quia est infidelis, & infidelitas est magna deformitas: at hæc conditio personæ operantis non est necessaria circumstantia operationis eius, sed tantum cōcomitanter se habet, quia licet sit infidelis, non operatur vt infidelis, neque ex aliquo errore, sed vt naturali ratione vtens. Sicut de peccatore fidei dicendum etiam est, licet malitiam habitualis peccati habeat, illam non esse circumstantiam boni actus, quia nullo modo in illum influit. Ex hoc ergo capite non datur necessariò mala circumstantia.

Ethinc facile etiam probatur altera pars de fine, quia licet aliquis sit infidelis, non necessariò referat actum ad finem infidelitatis, vt rectè dixit D. Thom. supra, sumens argumentum à contrario. Nam fidelis non necessariò refert omnem actum suum ad finem fidei: ergo neque infidelis ad finem infidelitatis. Et declaratur amplius: nam licet infidelis sit idololatra, fieri potest, vt nullum habuerit actum vniuersalem, quo reuoluerit omnia in idolum, nam hic actus liber est, & nihil est, quod necessitet gentilem ad habendum illum. Quin etiam fieri potest, vt nō diligit idolum super omnia, sed modo imperfecto, & humano, vel tantum ex aliquo timore illum colat, vel etiā fieri potest, vt sit in alio peccato mortali, quo aliqua creatura diligit plus, quàm verum Deum, & pliusquam idolum: ergo tunc non refert omnia sua opera in idolum, nec etiam refert in obiectum talis peccati, quia nō formaliter illud diligit super omnia, sed tantum imputatiuè, neque habuit vnquam formalem actum, quo omnia sua opera in illud reuoluerit. Sicut fidelis peccator licet conuersus sit ad creaturam, non tamen omnia propter illam operatur, neque tamen talem relationem vnquā habuit, & ideo operari potest sine formali, vel virtuali relatione ad obiectū sui peccati: idem ergo est de infideli, in quo talis relatio non præcessit. Verum tamen etiam si præcesserit, non satis est, quia præcedens relatio vniuersalis in aliquo finem non dat circumstantiam sequenti operi, nisi influat in illud per moralem aliquam connexionem cum illo, ita vt actio præsens pendeat aliquo modo ex fine præcedentis relationis, nam si non pendet ab illo fine: ergo ille finis non est causa eius: ergo non est finis: ergo non est circumstantia: ergo non dat malitiam præfenti actui, quantumuis finis ipse in se malus sit, quia in actum non influit. Necessaria est ergo connexio per virtutem aliquam relictam in aliqua intermedia motione, vt ex 1. 2. suppono, & in 3. tom. 3. partis disp. 13. sect. 3. id breuiter attigi. In præfenti autem licet talis

talis relatio vniuersalis præcesserit, fieri potest, vt nulla eius memoria postea occurrat, nec maneat aliquis affectus eius, in cuius virtute, vel ex cuius motione fiat; ergo fieri potest actus, cuius ille malus finis circumstantia non sit. Sicut iustus, qui prius reulit omnia opera sua in Deum, cum postea venialiter peccat, nullo modo ex vi prioris intentionis operatur; ergo non repugnat, in fidelem habere actum bonum, cui circumstantiam prauam posituè (vt sic dicam) non adiungat.

15. *Profusio voluntatis suæ perit.* Quod verò possit etiam talis actus fieri sine omni-  
sione circumstantiæ alicuius bonæ, & ad absolutam honestatem actus necessaria, probatur, quia si actus sit ex obiecto bonus, potest etiam propter honestatē eiusdem obiecti fieri; ergo si non referatur ad extrinsecum finem prauum, eo ipso habet intrinsecum finem bonum, & honestum: ergo ex parte finis non caret aliqua honesta, & debita circumstantia: sed ex alijs circumstantijs nulla fingi potest necessaria ad honestatem actus, & quæ illi necessariò desit: ergo nulla est ratio cogitandi talem malitiam in tali actu ex defectu honestæ circumstantiæ necessaria. Prima pars antecedentis, per se manifesta est, quia honestas obiecti est bonitas sufficiens ad mouendam voluntatem. Vnde si actu consideretur, vt per naturalem rationem fieri potest, poterit etiam voluntas libera propter illam moueri ad operandum, & tunc obiectum illud dicitur finis intrinsecus operis, quia per se mouet ad sui amorem, & non ex ordinatione ad alium finem, & ita formaliter propter se diligitur, & non propter aliud. Prima verò consequentia, in qua sola est difficultas, probatur, quia species actus, quæ sumitur ex obiecto honesto, seu sine intrinseco, quatenus honestus est, species est honesta, & veræ virtutis moralis, vt ex 1. 2. suppono, & sumitur ex Aristot. libro 2. Ethicor. capit. 4. & aliunde nullum est præceptum referendi omne tale bonum in alium finem meliorem, seu altiore, etiam vltimum, quia nulla ratione, vel testimonio ostendi potest tale præceptum. Quia relatio formalis, seu actualis necessaria non est, vt Gregorius fatetur: nec de virtuali datum est præceptum, præter præceptum diligendi Deum super omnia, quod non obligat pro semper, & ideo prius quàm per proprium actum impleatur, potest aliud opus fieri, quod ex obiecto bonum sit, & neque amor sit contrarium, nec per illum referatur, quia non præcessit. Vel certe licet præcesserit, & per illum actum fuerit impletum naturale præceptum: potest nihilominus talis actus postea non influere in bonum opus subsequens, & ita nihil ad bonitatem eius conferre. Confirmatur etiam ab inconuenienti, quia alias etiam fideles, & iusti frequenter peccarent ex defectu talis relationis, quod est absurdum, & sine maiori probatione non est admittendum. Et ex responsione ad argumenta Greg. hoc magis constabit. Igitur ex parte finis non caret talis actus aliqua circumstantia necessaria ad absolutam bonitatem moralem. De alijs verò circumstantijs res est clara, & non indiget probatione, quia nec Gregorius, nec aliquis catholicus de illis dubitat: contra hæreticos verò dicentes deesse circumstantiam necessariam integritatis naturæ, iam satis dictum est, nam est merum commentum sine fundamento.

16. *Ad testimonium adductum in Rom. 14.* Superest, vt argumentis aliarum opinionum respondendum, & in priori proponebantur in primis verba Pauli, Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Circa quæ (omitto sensum Augustini: nam de illius sententia in sequenti capite dicam) duo explicanda sunt, vnum est, quid ibi significet fides, aliud est, quid sit Non esse aliquid ex fide. De vtraque enim parte duæ sunt expositiones. Prior intelligit vocem fides, de propria fide, seu credulitate, negationem autem intelligit: non merè negatiuè, sed contrariè, id est, quod repugnat fidei, vel quod ex infidelitate nascitur, peccatum est. Quem sensum videtur ibi probare Hieron.

& D. Thom. non improbat. Et in eo testimonio illud nihil obstat nostræ sententiæ. Quia infidelis etiam si negatiuè non operetur ex fide Christiana, potest non operari contra fidem, vt quando dat elemosynam. Expositio tamen non quadrat intentioni Pauli, vt statim dicam. Et assertio ipsa limitatione indiget: quia aliquid potest fieri in se quidem fidei contrarium, quod si ignoranter fiat, peccatum non fit. Vt si infidelis inuincibiliter putet, vsuram, vel fornicationē non esse malam, & putet, sine peccato fieri posse, aliquid quidem ager contra documenta, seu præcepta fidei, & tamen non peccabit. Oportet ergo intelligi, vel quia opus à fide dissonans in se peccatum est, siue imputetur operanti, siue propter ignorantiam non imputetur: vel quia sermo est de opere repugnante fidei ipsius operantis, & cognoscentis per fidem, opus esse contrarium diuinis mandatis. At verò Caietan. *Caietan. ubi ibi intelligens locum Pauli negatiuè vt sonat, & de ra in se, sed non ad vau-lem mentem.* propriam fide, restringit sermonem ad opera fidelium, & quæ debent per fidem regulari, quia materia subiecta talis erat. Et sic etiam sententia est vera, quia opera, quæ ex fide pendent, ex illa regulari debent, quia si non ita fiant, non possunt rectè fieri, tamen non est ad mentem Pauli, vt constabit.

17. *Vera expositio, fidei, id est, conscientia dicitur.* Alia ergo, & vera expositio est, vt fides ibi non credulitatem tantum, sed dictamen conscientiæ significet. Hanc enim esse Pauli mentem, ex discursu capitulis facillè intelligit, qui illud attentè legerit. Nam in toto illo agit de modo sequendi dictamen conscientie sine lapsa proprio, & sine aliorum offensione, sumpta occasione à controuersia, quæ tunc erat inter Iudeos, & gentes ad fidem conuersos circa legalium obseruationem, præsertim in vsu ciborum prohibitorum in lege veteri. Vnde in principio sic incipit, *Infirmum in fide assumite, non cum disputationibus cogitationum: vbi infirmum in fide, videtur vocare Iudeum iam credentem in Christum, nondum tamen satis instructum de cessatione legis, qui dici potest infirmus in doctrina fidei, vel quia aliquid in ea ignorabat, vel quia per errorem habebat timorem, vel scrupulum conscientie, quia putabat, sibi non licere, quod iam non erat sibi prohibitum. Et de illo sic infirmo subdit Paul. Qui infirmus est, olus manducet: id est, abstineat iuxta legem, vnde consequenter dicit inferius. Scio, & confido in Domino Iesu, quia nihil commune, (id est, prohibitum, vel immundum) per ipsum, nisi ei, qui existimat, quid commune esse illi commune est. Et postea monens Christianos gentiles, qui sciebant, & credebant, legem iam non obligasse, vt sua bona conscientia vterentur, sine offendiculo infirmorum fratrum, adiungit, Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Ac tandem pro gentilibus concludit. Tu fidem habes & penes te ipsum habes coram Deo. Pro Iudæis verò, Qui autem discernis (id est, quosdam cibos reputat mundos, & alios immundos) si manducaueris (vtique immundos) damnatus es, quia non ex fide: id est, non secundum conscientiam. Et tunc subiungit, Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est. Constat ergo nomine fidei conscientiam significasse. Et significatio deriuata est ex illa, qua fides pro fidelitate sumitur: nam operari contra conscientiam, videtur esse infidelitas quædam moralis, seu practicum mendacium, & conuerso qui secundum conscientiam operatur, fideliter, & veraciter se gerit. Atque hoc modo altera particula non ex fide, non solum contrariè, sed etiam negatiuè, vt sonat, accipi potest, quia tenemur non solum non agere contra conscientiam, sed etiam non operari, nisi ex certa conscientia, vnde qui sine illa, vel cum conscientia dubia operatur, eo ipso malè agit, propter periculum, cui se exponit. Et hæc expositio communior est Patrum, præsertim Chrysostomi, & Græcorum in Paul. & Anselm. & habetur etiam in Commentarijs Ambrosij, & magis probat eam D. Thomas.*



hum bonum creatum, & non aliud, etiam si neutrum possit diligi, ut vltimus finis simpliciter, & possit, seu super omnia, quia hoc est proprium boni increati.

CAPVT VII.

De operibus infidelium quid Augustinus fenerit?

**M**ulti, & graues auctores affirmant Augustini sententiam fuisse, nullum opus bonum morale posse bene, & honeste fieri sine fide, ideoque omnia opera hominis infidelis, quantumuis bona ex obiecto videantur, esse peccata. Et vera sunt varia loca difficillima, in quibus hanc sententiam tradere, lateque confirmare videtur. Præcipuus est in libro quarto contra Iulianum capit. tertio, ubi latissime hoc punctum tractat, sæpeque repetit, virtutes, quæ in infidelibus esse videntur, non esse veras virtutes, & bona opera non bene ab eis fieri, & ideo simpliciter bona non esse, sed mala, & peccata. Idem habet lib. 5. de ciuit. cap. 12. & lib. 19. cap. 25. & lib. 13. de Trinit. capit. vltim. ubi negat, esse veras virtutes morales, nisi ad fidem referantur, quæ per charitatem operatur, & addit etiam illas non esse tales in hac vita, quin aliqua remissione indigeant. Et lib. de Continentia cap. 13. Absit (ait) ut consentiam, de qua Scriptura dicit, esse Dei donum, etiam eos habere dicamus, qui continent, vel errant, vel iungunt, vel aliqui minores cupidi, atque ideo vincunt, ut alius expleant, quorum granditate vincuntur. Idem sentit lib. 1. de Nupt. cap. 3. ubi negat, pudicitiam conjugalem inter infideles coniuges esse bonam, & quod amplius est, negat esse Dei donum. Idem lib. 1. de Gratia Christi cap. 26. Lactius Præfat. in Psalm. 31. ubi inter alia dicit, Ea opera, quæ dicuntur bona ante fidem, quantum videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, ut ceterum curis præter viam. Et infra circa finem. Crede in eum, qui iustificat impiam, ut possint, & bona opera sua esse bona, nam nec bona illa appellauerim, quæ non prodeunt de radice bona. Et infra. Attenduntur operata, & inueniuntur omnia mala: utique ante fidem, & infra. Nam qui a fidem præcesserunt, nec bona vocanda sunt.

Secundò potest ostendi, hanc fuisse mentem Augustini ex fundamentis eius. Quæ primò sumuntur ex locis Scripturæ supra tractatis, videlicet, ad Roman. 14. Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Quod de propria fide Theologi ubique intelligit: sentiens, nullum actum simpliciter bonum fieri sine fide; imò è contrario actum sine fide factum semper esse peccatum. Item ad Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Quod de actibus sine fide factis interpretatur, & inde colligit, non posse esse bonos, quia non possunt Deo placere, nam omne bonum, & honestum placet Deo. Et Matth. 7. Non potest arbor mala bonos fructus facere. Nam per arborem malam intelligit voluntatem impiam, à qua nihil boni prodire potest: talem autem dicit esse voluntatem hominis infidelis. Quartus est Matth. 6. Lucerna corporis tui est oculus tuus, si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Subiungit enim Augustinus, infidelem habere oculum nequam, quia habet pravam intentionem in suis operibus.

Et ex hoc vltimo loco sumitur prima ratio, quæ vtitur frequentius Augustinus, quia ut opus sit bonum, non satis est, quod sit de obiecto bono, sed oportet, ut etiam sit propter bonum finem, sed infidelis non habet bonam intentionem in suis operibus, ergo. Maiorem probat multis modis, præsertim contra Iulian. Nam ad veram virtutem (ait) non tantum intrandum est, quid agitur, sed causa querenda est, cur agatur, quia virtus à vicio magis sine distinguitur, quam officio. Quod tanquam omnino verum supponimus. Minorem autem probat, vel quia infideles, & gentiles dum

videntur operari virtutem, semper ducuntur aliqua humana concupiscentia, ut appetitu gloriæ, sicut de Romanis ait in libris de Ciuitate; vel affectu auaritiæ, vel timore alicuius penæ temporalis, ut in lib. de Continent. & sæpe aliàs dicit. Vel quia infideles operantur in cultum, & honorem suorum Deorum; vel denique quia licet demus, operari interdum virtutem, propter se ipsam, etiam illud est superbum, ait, in vltimo loco de Ciuit. quia per talem virtutem non feruitur Creatori.

Atque hinc oritur altera ratio, quam sæpe etiam vrget, quia opus hominis infidelis saltem caret sine debito, & ideo malum est; sic ait contra Iulian. Virtutes, si quæ videntur esse in infidelibus, non esse veras, quia non ad suum referuntur autorem. Imò addit, illis videntes malos fieri, vel in his ipso peccantes, quod fidem non habentes, ad illum finem, ista non referunt, ad quem referre debuerant. Et similiter lib. 5. de Ciuit. cap. 12. Non esse veram virtutem, nisi quæ referatur in illud bonum, quo melius non est. Vnde tertiam rationem insinuat contra Iulianum, quia opus sine fide factum, nec referatur in Deum, nec ei tribuitur: ergo non potest esse bonum, quia illud operans, in se, non in Domino de illo gloriatur, eoque ipso malum est opus. Quarta ratio Augustini est, quia omnia opera infidelium sunt sterilia, & infructuosa: ergo non sunt bona. Antecedens constat, quia tale opus non potest dare vitam, nec ad illam conferre, quia iustus ex fide viuunt. Vnde nec iustitiam dare potest, nec facere bonum operantem: ergo est sterile opus: ergo non est bonum, quia fieri non potest (inquit contra Iulianum) ut sterilis boni simus, & ideo, quidquid steriliter sumus, boni non sumus. Vbi talem rationem insinuat, quia homo tenetur nunquam steriliter operari, & ideo quoties steriliter operatur, non bene operatur.

Quinta ratio, quam maxime vrget in lib. 1. de Nupt. & concu. c. 12. & dicto lib. contra Iulian. quia non potest esse pudicus veraciter, qui non propter Deum verum fidem coniugii seruat, tacite inde inferens, eandem esse rationem de quocunque bono opere morali. Antecedens probat, quia non potest corpus esse pudicum, quando animus à Deo fornicatur, sed animus infidelis à Deo fornicatur, iuxta illud Psalm. 72. Perdidisti omnes, qui fornicantur abste; ergo non potest infidelis esse veraciter pudicus. Probatur consequentia, quia pudicitia est in animo, & animus fornicarius non potest esse pudicus. Ergo (ait Augustinus) aut in animo fornicante pudicitia esse potest, aut in infideli pudicitia esse non potest. Vnde cum primum censcat omnino absurdum, secundum approbat.

Tertiò principaliter ostenditur, hanc fuisse mentem Augustini, quia ita intellexerunt posteriores Patres illius sectatores, in primis Prosper lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 7. aliàs 3. ubi sic ait. Et si fuit, qui naturaliter intellectu conatus sit, virginitatem seruare, huius tantum temporis beatitudinem non profecit. Sine cultu enim veri Dei, etiam quod virtus videtur esse, peccatum est, nec placere vltis DEO sine DEO potest. Qui virò DEO non placet: cui nisi sibi, & diabolo placet? Et libro contra Colla. capit. vigesimo secundo. Nihil boni operis procedit ex mortuo, nihil iustitia procedit ex impijs. Et infra loquens de infideli ait, Bonus suis malè vitatur, in quibus sine cultu veri Dei impieratis, immunditiæque coniungitur, & infra ait, Nullum esse bonum voluntatis motum, nisi quem creauerit diffusa per Spiritum Sanctum charitatis affectus, quia sine fide impossibile est placere Deo, & omne, quod non est ex fide, peccatum est, & in Christo Iesu neque circumcissio aliquid valet, nec noua creatura, sed fides, quæ per dilectionem operatur. Idem capit. vigesimo octauo. adhuc illam rationem, Quia in his studijs (utique virtutum) non Deo, sed diabolo seruiunt, utique infideles. Vnde concludit, In impiorum animis omnia opera esse immunda, atque polluta. Fulgentius etiam libro de Incarnat.